

putans Uxorem jam fuisse mortuam. Vide verb. *Papa* art. 1, n. 50.

(65. Non posset tamen talis Conjugatus debitum petere quia obligaretur voto Castitatis annexo Ordini Sacro suscepto, quod votum servare teneretur, in quantum Lex Matrimonii permetteret, scilicet Debitum Conjugale non exigendo, quamvis illud reddere posset, et teneretur. *Communissima*.)

(66. Nec talis Conjugatus posset, mortua dicta sua Uxore, ad alias nuptias transire, et si de facto aliud Matrimonium contraheret, illud esset nullum: Votum enim annexum Sacro Ordini est solemne, adeoque impedit Matrimonium in posterum contrahendum, ac dirimit contractum; cap. *Unic. de voto* in 6. *Reiffenstuel* lib. 3, *Decretal. tit. 3*, num. 39 et 40. *Pirhing* lib. 3, *Decretal. tit. 32*, n. 61, verb. *Notandum secundo*; *Abbas* in cap. *Placet* 12, de conversione Conjugatorum n. 7. *Sanchez* loc. cit. disp. 38, n. 24, et alii passim.)

(67. Nec valet objicere, quod sicuti Conjugatus, qui sine licentia Uxoris est professus Religionem, et ab ipsa revocatus, post mortem illius ad alias nuptias transire potest, saltem valide, etsi non licite propter simplex votum Castitatis, juxta cap. *Quidam* 3, et cap. *Placet* 12, de convers. Conjug., ita etiam Conjugatus qui sine licentia Uxoris est promotus ad Sacros Ordines, et ab ipsa revocatus, post mortem illius ad alias nuptias saltem valide, etsi non licite transire poterit. Non valet, inquam, cum adsit magna disparitas, et ratio disparitatis, seu diversitatis est, quia in tantum Conjugatus sine licentia Uxoris professus, et ab ipsa revocatus post mortem illius ad alias nuptias saltem valide transire potest, quia talis Professio fuit irrita, et invalida, adeo ut nec mortua uxore teneatur ad Religionem redire, per text. in c. *Quidam* 3, et c. *Placet* 12, de convers. Conjugator. juxta dict. supra n. 13, et ideo per illam Professionem irritam, et nullam non potest dirimi Matrimonium subsequens, sicque si talis Conjugatus mortua Uxore aliud Matrimonium contrahat, erit validum, quamvis illicitum, ex quo licet defectu consensus, et licentiæ Uxoris suum votum non fuerit solemne, fuit tamen simplex Castitatis. At vero Ordo Sacer etiam sine licentia Uxoris est valide collatus, et receptus, et in ejus collatione et susceptione ex Ecclesiæ constitutione intervenit, non solum votum simplex sed et solemne Castitatis, aptum ad impediendum Matrimonium in posterum contrahendum, et ad dirimendum jam contractum; text. express. in cap. *Unic. de Voto* in 6, adeoque talis Conjugatus in Sacris Ordinatus non posset, sicuti posset Professus, mortua Uxore, ad alias nuptias valide transire, et si de facto aliud Matrimonium contraheret, illud esset nullum; Sic *Abbas* in cit. cap. *Placet* 12, n. 7, de Convers. Conjug. *Sanchez* lib. 7, de Matrim. disput. 38, n. 24, *Pirhing* lib. 3 *Decretal. tit. 32*, n. 81, vers. *Notandum secundo*, et alii.)

(68. An autem si Conjugatus cum Uxoris spontanea licentia ad Ordines Sacros sit pro-

motus, et ipsa Uxor in sæculo manens perpetuam Castitatem non voveat, possit ab ipsa revocari ad consortium Conjugale: discurrendum est juxta d. distinctionem supra num. 23, uti præter Doctores ibi citat. tenent etiam Glossa in cap. *Seriatim* 14, verb. *Post mortem* dist. 32. *Henric. Boich.* in cap. *Uxoratus* 5, num. 12, de convers. Conjug. *Angel. verb. Matrimonium* 4, num. 9, apud *Fagnan.* in cit. cap. *Uxoratus* n. 9, quamvis ipse ibi num. 8, dicat, quod consentiunt omnes, tam Theologi quam Canonistæ, quod tali casu absolute non possit Uxor revocare Virum, cum eo ipso, quod licentiam dederit Viro suscipiendi Sacros Ordines censeatur etiam vovisse Castitatem et privatam esse usu Conjugii, et consequenter etiam Jure revocandi Virum.)

(69. Si Conjugatus cum licentia spontanea Uxoris Sacros Ordines suscepit, tunc Uxor non potest eo mortuo, valide aliud Matrimonium inire; cap. *Quia sunt* 10, dist. 28, et ibi Glossa final. *Azorius* part. 1, lib. 13, cap. 14, q. 11. *Sanchez* loc. cit. disp. 40, n. 3, *Pirhing* loc. cit. n. 61, vers. *Notand.* 14. Et ratio est, quia ex Ecclesiæ Constitutione ob reverentiam Ordinis Sacri suscepti a Viro cum spontanea licentia Uxoris voventis Castitatem, ipsa quoque reddita est inhabilis ad aliud subsequens Matrimonium in eundem.)

(70. Si autem Vir Ordinem Sacrum susceperit Uxore contradicente, vel ignorante, potest ipsa, eo mortuo, aliud Matrimonium valide contrahere, quia delictum Viri non debet præjudicare Uxori, cum peccata suos debeant tenere auctores; cap. *Quæsit* 2, de his, quæ fiunt a majori parte Capituli; 1. *Sancimus* 2, Cod. de pœnis. Nec debet aliquis alterius odio prægravari; cap. *Non debet* 22, de Regul. Juris in 6, l. *Non debet* 74, ff. de Regul. Jur. Et rem, quæ culpa caret, in damnum, vocari non debeat; capit. *Cognoscetes* 2, de Constitutionibus. Sic *Sanchez* loc. cit. n. 4. *Pirhing* loc. cit. n. 61, vers. *Notandum* 3, et alii passim.)

(71. Conjugatus sine spontanea Uxoris licentia ad Ordinem Sacrum transiens fit irregularis, et nequit, durante Matrimonio, immo nec Matrimonio per obitum, aut Professionem Religiosam Uxoris soluto, in suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi, nec ad aliquod Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum promoveri, nisi aliquam de Religionibus approbatis canonice fuerit ingressus, quo casu poterit Episcopus super præmissis cum eo dispensare. *Communis*, text. express. in *Extrav. Antiquæ* Joan. XXII, de voto et voti redemptione.)

(72. Et si Matrimonium nondum fuerit consummatum, talis Conjugatus sine spontanea licentia Uxoris ad Ordines Sacros promotus est instanter monendus, et inducendus ab Episcopo ad Religionem ingredendam; et si Religionem noluerit ingredi, si sponsa ejus institerit, est per Ecclesiasticam Censuram ad consummandum Matrimonium compellendus. *Communis*, textu espresso in cit. *Extravag. Antiquæ* in fine, ibi: « Ad

ingressum hujusmodi sic ordinatum (si Matrimonium consummatum non fuerit) per Diœcesanum instanter moneri præcipimus, et induci. Quod si forsitan renuerit adimplere, ipsum (si sponsa ejus institerit) per Censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum Matrimonium consummare. »

(73. Si unus Conjugum pro certo cognoscat invaliditatem Matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiæ probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, non obstante, quod per sententiam Judicalem Ecclesiæ, vel etiam per Excommunicationem ad id compellatur, aut ab altero Conjugate absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitæ periculo, discedere nequeat. Vide verb. *Debitum Conjugale*, Art. 1, n. 51 et 52.)

(74. Quando Conjuges debitum Conjugale possint, et debeant reddere, vel non? Vide d. verb. *Debitum Conjugale*, Art. 1, per tot.)

(75. Quoad ea, quæ concernunt dispensationem super impedimento petendi debitum Conjugale, vide d. verb. *Debitum Conjugale*, Art. 2, per tot.)

(76. Quando, et quomodo possint, vel non Conjuges facere divortium. Vide verb. *Divortium per tot*.)

(77. Conjuges opus Conjugii exercentes ob solam voluptatem, non vacant culpa veniali. *Communis*. Contraria enim opinio est expresse damnata ab Innocent. XI, Die 2 Martii 1679, proposit. 9, ibi: « Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. »

(78. Conjugum in actu conjugali cum sua, se morose delectans in alia, velut præsentem, peccat mortaliter, et addit speciem adulterii in Confessione explicandam. Vide verb.

CONSANGUINITAS.

Vide verb. IMPEDIMENTA DIRIMENTIA MATRIMONIUM, verb. COGNATIO.

CONSCIENTIA.

SUMMARIUM.

1. Conscientia quid sit. — 2. Assignatur differentia inter Conscientiam, et Synderesim, usque ad n. 3. — 4. Conscientia ab aliquibus dicitur quasi concludens scientia; a divo Bernardo dicitur quasi *Cordis Scientia*; a divo Thoma quasi *cum alio scientia*; Et ab aliis quasi *cum seipso scientia*, usque ad n. 6. — 7. Conscientia partim respicit opera nostra præterita, vel ea accusando tamquam malefacta, vel ea commendando tamquam bene facta. — 8. Et partim respicit opera instantia, vel futura dictando, quæ agenda sint tamquam bona, et quæ omittenda tamquam mala, et turpia. — 9. Conscientia est intrinseca, et proxima regula, juxta quam homo tenetur dirigere suas actiones. — 10. Lex autem est regula extrinseca, et remota, prout est radix, unde oritur bonitas, vel malitia objecti. — 11. Potest contingere ut actus sit bonus et objectum in se malum, et e contra. — 12. Actus intellectus practici, quo indicat aliquid esse bonum, vel malum, aut indifferens in genere moris, et ut tale illud proponit voluntati vocatur proprie *Conscientia*. — 13. Conscientia dividitur in Rectam, Erroneam, Dubiam,

Adulter, Art. 1, n. 6, et verb. *Delectatio morosa* n. 26.

(79. Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges præsentem, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale. Vid. d. verb. *Delect. morosa* n. 24.)

(80. Immo Conjugum neque mortaliter peccat, si de maritali copula, altero conjugate absente, cogitans, in re cogitata morose delectetur. Vide ibid. n. 25.)

(81. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter Conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia; alias non sunt nisi venialia. Vid. verb. *Luxuria* n. 88, verb. *Tactus* num. 12, 13 et 14.)

(82. Conjuges an, et quas donationes possint sibi invicem facere? Vide verb. *Donatio*, Art. 2, a n. 13, ad n. 29.)

(83. Quoad ea, quæ concernunt bona Conjugum. Vide verb. *Bona*, Artic. 4, a n. 1 ad 37.)

(84. Quibus prius subvenire debeant Conjuges, in extrema, gravi, et communi necessitate? Vid. verb. *Necessitas* a n. 23, ad 37.)

(85. Ad quem Conjugem spectet proprietas, et dominium dotis, et quid de ipsa in variis casibus? Vid. verb. *Dos*, Art. 1, et Art. 3, per tot.)

(86. Alia ad rem. Vid. verb. *Adulterium* verb. *Bona*, art. 4, verb. *Debitum Conjugale*, verb. *Delect. morosa*, verb. *Divortium*, verb. *Donatio*, verb. *Luxuria*, verb. *Maritus*, verb. *Impedimenta Matrimonii*, verb. *Matrimonium*, verb. *Necessitas*, verb. *Sepultura*, verb. *Tactus*, verb. *Uxor*.)

Additiones ex aliena manu respicientes ingressum Religionis post Matrimonium contractum et consummatum reperies in verb. *Matrimonium* art. 5.

Probabilem, et Scrupulosam. — 14. Conscientia recta, seu certa, quæ sit. — 15. Conscientia erronea, seu falsa, quæ sit? usque ad n. 16. — 17. Conscientia erronea dividitur in invincibilem, et vincibilem, et quæ utraque sit. — 18. Conscientia erronea sive sit vincibilis, sive invincibilis, obligat negative ad actum dictatum. — 19. Conscientia erronea invincibilis obligat ad actum dictatum non solum negative, sed et positive. — 20. Conscientia erronea vincibilis non solum obligat positive, ut eam sequamur, sed neque licite ipsam sequi possumus; obligat tamen, ut eam deponamus; ita ut sive juxta eam, sive contra eam agamus, semper peccemus. — 21. Qui peccat ex Conscientia erronea, peccat peccato ejusdem speciei, et qualitatis, quam intellectus judicat. — 22. Conscientia dubia quæ sit. — 23. Assignatur differentia inter conscientiam dubiam et probabilem. — 24. Conscientia dubia varie dividitur juxta varias divisionem dubii. 25. Dubium primo dividitur in speculativum, et practicum; et quid sit utrumque, ad n. 26. — 27. Secundo dividitur in dubium positive, et negative, et quid sit utrumque, ad n. 28. — 29. Tertio dividitur in dubium juris, et dubium facti, et quid sit utrumque, ad n. 30. — 31. Qui

operatur cum Conscientia speculative dubia juris, vel facti non peccat, si practice iudicet opus illud esse hic et nunc sibi licitum. *ad n. 52.* — 53. Qui operatur cum Conscientia practice dubia peccat pro qualitate dubii, et in ea specie peccati, de qua dubitat. — 54. Practice dubius debet suam actionem suspendere, donec re mature, sed humano more examinata, dubium prudenter deponat, formando iudicium determinatum de honestate actionis hic, et nunc exercendae. — 55. Si re mature examinata adhuc maneat dubius pro utraque parte, et reperiat in talibus circumstantiis, ut debeat necessario operari, tunc si nequeat dubium deponere, debet eligere id, in quo non est periculum peccandi, aut id, quod est minus malum. — 56. Si autem utrumque malum appareat ipsi æquale, et repertus in necessitate operandi nequeat discernere, quodnam de duobus malis sit majus, vel minus malum, tunc potest eligere quod vult. — 57. Hoc totum demonstratur exemplo. — 58. Pro regulis generalibus ad rationabiliter deponendum dubium, quod propria materie motiva non suppetunt, exponuntur duo usualiora axiomata ex Jure communi deprompta, scilicet: *In dubiis tutior pars est eligenda. In dubiis melior est conditio possidentis.* — 59. Primum axioma sine dubio universaliter, et semper verum est quantum ad consilium, et perfectionem. — 40. Tenemur ex præcepto partem tutiorem eligere in dubiis sive juris, sive facti quoad valorem Sacramentorum. — 41. Similiter tenemur ex præcepto partem tutiorem eligere, quando aliter immineret proximo periculum gravis damni. — 42. Sic etiam esset obligatio sequendi tutiorem partem, si quis ad hoc se obligasset voto, vel ad id adstrictus esset per legem, aut per legitimum Superioris mandatum. — 43. In aliis materiis, non tenemur eligere partem tutiorem, nisi lex aliqua præcipiat, ut pars tutior eligatur. — 44. Et de facto in plurimis aliis materiis tum Pontifices, tum Sancti Patres docuerunt et tenuerunt aliquam minus tuta quam licita, relicta parte tutiori, *usque ad n. 47.* — 48. Secundum axioma, scilicet in dubiis melior est etc. fundatur, et in regulis juris, et in Jure naturæ, *usque ad n. 49.* — 50. Verus hujus axiomatis sensus est: quod quando neutra pars sufficienter probatur, possessoris causa debeat sustineri. — 51. Hoc axioma locum habet universaliter in materia justitiæ, quando videlicet dubium est an res aliqua sit, hujus, vel illius Domini, et unus de facto bona fide possidet talem rem. — 52. Item tale axioma nedum locum habet quoad possessionem in materia justitiæ, sed etiam quoad possessionem in materiis aliarum virtutum. — 53. Hinc colligitur primo, valere tale axioma indubitanter in materia obedientiæ. — 54. Colligitur secundo, valere tale axioma in materia Religionis. — 55. Colligitur tertio, valere tale axioma in materia Fidelitatis. — 56. Colligitur quarto, quod ex regula talis axiomatis, qui vere dubitat, an lex, vel præceptum adsit, manet in possessione suæ libertatis contra legem, vel præceptum. — 57. E contra vero, qui est certus de lege lata, promulgata, et recepta, et dubitat solum de ejus cessatione, vel abrogatione, lex manet in possessione suæ obligationis contra hominem dubitantem. — 58. Colligitur quinto, ex tali axiomate, quod in dubio facti fundantis legem dubitans de facto manet in possessione suæ libertatis. — 59. E contra vero in dubio facti supponentis legem, lex manet in possessione obligationis, contra dubitantem. — 60. Colligitur sexto ex tali axiomate quod in dubio circa tempus inchoandæ obligationis, dubitans manet in possessione suæ libertatis. — 61. E contra vero in dubio circa tempus finiendi obligationem, lex manet in possessione obligationis contra dubitantem. — 62. Colligitur septimo ex tali axiomate, quod qui est certus de debito, et dubitat an solverit, teneturolvere. — 63. Nisi etiam creditor ipse dubitet. — 64. Quoad hoc tamen placet limitatio, quod scilicet non

teneatur in tali casu ad integram solutionem, sed solum ad partem ejus pro qualitate dubii. — 65. Colligitur octavo ex tali axiomate, quod dubius de legis justitia, obedire tenetur. — 66. Colligitur nono ex tali axiomate, quod qui certus est se vovisse Ecclesiæ sex mensuras, v. g. vini, vel tritici, et dubius est, de qua mensura intellexerit, tunc ipse vovens, sive suus hæres teneturolvere ad mensuram minorem. — 67. De primo ad ultimum quoad dubia, et obscura habetur regula expressa de mente S. Leonis. — 68. Conscientia probabilis quæ sit. — 69. Assignatur differentia Conscientiæ probabilis a Conscientia recta. — 70. Assignatur ejus differentia etiam a Conscientia dubia. — 71. Conscientia probabilis dividitur in probabilem probabilitate intrinsicam, et probabilem probabilitate extrinsecam, et quæ utraque sit. — 72. Item Conscientia probabilis, alia est vere probabilis, et alia tenuiter solum probabilis, et quæ utraque sit. — 73. Hinc resolvitur prima, quod potest homo in rebus moralibus, et actionibus humanis licite sese conformare Conscientiæ, seu opinioni vere probabilis. — 74. Opinio vere probabilis, quæ sit. — 75. Unus Auctor potest facere opinionem vere probabilem, si plures Classicos Doctores pro ea fideliter citet. Immo potest dari casus, ut opinio unius Doctoris sit vere probabilis, etiamsi quamplures Doctores contrarium sentiant, si Auctor ille ita solidas afferat rationes, quæ faciliter aliorum rationes infringant. — 76. Unus tamen Auctor qui non habeat, nec afferat rationes intrinsicas ita firmas, ut aliorum rationes ab ipsis infringantur, non potest facere opinionem vere probabilem. — 77. Talis enim opinio esset solum leviter, et tenuiter probabilis. — 78. Resolvitur secundo, quod potest homo licite sequi opinionem vere quidem, sed minus probabilem, minusque tutam, relicta probabiliori et tutiori, quando tamen agitur de sola honestate actionis, an licita sit, vel non. *ad num. 82.* — 83. Resolvitur tertio, quod non potest homo licite sequi opinionem minus probabilem, minus tutam, relicta probabiliori, et tutiori, quando agitur de materia facti, et exinde sequitur certum periculum inferendi damnum proximo. — 84. Unde Sacerdos in administratione Sacramentorum adhibens materiam, vel formam dubiam minusque probabilem, et minus tutam, cum possit adhibere certam, aut tutiorem, graviter peccat. — 85. Sic Judex sententiens ad favorem partis minus probabile jus habentis peccat graviter. — 86. Judex enim suis sententiis tenetur sequi opinionem probabiliorem. — 87. Immo neque quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex adjudicare causam cui maluerit, et si munera accipiat, ut ad unius partis potius favorem pronunciet sententiam, peccat mortaliter, et ad restitutionem tenetur. — 88. In tali casu quando re mature discussa, non apparet, quænam pars potiori, et probabiliori sit suffulta ratione, debet Judex, vel compositionem inter partes suadere, vel rem controversam inter litigantes ex æquo dividere in re, vel in pretio. — 89. Excipiendum tamen est, *Nisi forte alter litigantium esset in possessione bonæ fidei.* — 90. Sic etiam excipiendum est, *Nisi alter litigantium sit reus.* — 91. Sic etiam excipiendum pariter est, *Nisi agatur de causis piis, et privilegiatis.* — 92. Similiter Medici, et Chirurgi, nedum tenentur sub mortali sequi sententias certas et securas, relictis incertis, et dubiis, sed etiam (certa curatione infirmorum non occurrente) tenentur sequi opiniones probabiliores, relictis minus probabilibus. — 93. Per accidens tamen poterunt Medici, et Chirurgi, adhibere remedia minus tuta, si infirmi, vel læsi non possint, aut nolintolvere pretiosa remedia. — 94. Sic etiam si quidam infirmus, vel læsus extremo labore, vel verosimilimum sit esse moriturum, nisi aliquo remedio juvetur, et nihil aliud occurrat, poterunt Medici, et Chirurgi cum consensu infirmi, vel ejus parentum

adhibere quodcumque remedium, quamvis minus securum, vel dubium. — 95. Non licet autem Medicis, et Chirurgis experiri in desperatis, an medicamenta sint utilia, vel noxia. — 96. Sic etiam Consiliarii in dandis consiliis ubi adest periculum, ne proximo fiat damnum, aut injuria, tenentur sequi sententias certas, vel probabiliores. — 97. In dandis autem Consiliis, ubi non adest periculum inferendi damnum proximo, non possunt Consiliarii sequi sententias minus probabiles, dummodo sint vere probabiles. — 98. Immo in similibus casibus possunt Consiliarii significare consulentibus talem opinionem a quibusdam Doctoribus tamquam probabilem defendi, quam proinde ipsis consulentibus sequi liceat, quamvis ipsi Consiliarii eamdem speculative falsam esse judicent, et proinde in praxi ipsi sequi non audeant. — 99. Sic Advocati possunt suscipere defendendam causam minus probabilem, sed vere probabilem, licet causa adversaria iudicetur ab ipsis probabilior. — 100. Resolvitur quarto, licitum esse sequi opinionem alienam vere probabilem et vere tutam, etiam contra propriam opinionem probabilior, et tutiorem visam. Immo etiam quandoque eam sequi debere, *usque ad num. 101.* — 102. Afferuntur objectiones, et solvuntur, *ad n. 107.* — 108. Secunda pars conclusionis, quod nempe etiam quandoque tenemur sequi opinionem alienam minus probabilem, et minus tutam, etiam contra propriam opinionem probabilior, et tutiorem nobis visam, ostenditur, *usque ad num. 110.* — 111. Sic Confessarius tenetur contra propriam opinionem etiam probabilior, et tutiorem sibi visam absolvere penitentem, et qui tenet oppositam minus probabilem, et minus tutam, dummodo sit vere probabilis, et tuta. — 112. Immo Diana cum aliis addit teneri Confessarium sic penitentem absolovere, licet putet opinionem penitentis esse falsam, dummodo reputet probabilem. — 113. Quinimmo superaddit Diana cum aliis peccare mortali-

(1. Conscientia « est dictamen practicum intellectus judicantis aliquid in particulari, sed hic et nunc agendum ut bonum honestum, vel fugiendum ut malum inhonestum esse, vel fuisse. » (2. Est in re communis. Conscientia, seu Prudentia differt a Synderesi, seu Ethica, quia Synderesis, seu Ethica judicat de principiis moralibus universalibus; Conscientia vero, seu Prudentia judicat de conclusionibus particularibus ex illis deductis. (3. Sit pro exemplo sequens, vel consimilis Syllogismus. « Detenti die festo talibus impedimentis non tenentur audire Sacrum, sed ego hodierno currenti festo detineor talibus impedimentis, ergo non teneor audire Sacrum. » In hoc vel simili Syllogismo majorem universalem format Synderesis, seu Ethica; minorem autem particularem, et conclusionem efformat Conscientia seu Prudentia. (4. Hinc Conscientia secundum Etymon dicitur ab aliquibus quasi *concludens scientia*, eo quod ex principiis communibus concludat in particulari, quid agendum, vel non agendum. (5. A Divo Bernardo l. de Conscientia, cap. 8, dicitur Conscientia quasi *cordis scientia*. (6. A Divo Thoma in 2. 2, d. 5, q. 2, art. 4, in corp. dicitur Conscientia, *quasi cum alio scientia*, quia scientiam practicam universalem applicat, vel conjungit cum actione in particulari, vel dicitur Conscientia quasi *cum seipso scientia*, eo quod quis per eam sibi ipsi conscius sit recte vel male factorum. « Et inde (sunt verba S. Doctoris loco cit.) et inde di-

ter, si nolit absolvere, quando de mortali Confessio sit, quamvis non sit proprius ejus Confessarius. — 114. Unde merito dicit Layman, quod reprehendenda est ea Confessoriorum consuetudo, qui veriti Confitentem contra propriam sententiam absolvere, eundem ad alium Confessarium diversæ opinionis ablegant. — 115. Conscientia scrupulosa quæ sit. *usque ad n. 116.* — 117. Scrupulosi alii sunt circa præsentia, et alii circa præterita, et utriusque qui sint. *ad n. 119.* — 120. Signa Conscientiæ scrupulosæ quæ sint. — 121. Causæ Conscientiæ scrupulosæ quæ sint. — 122. Remedia Conscientiæ scrupulosæ quæ sint. — 123. Privilegia Conscientiæ scrupulosæ quæ sint. — 124. Licitum est operari contra Conscientiam scrupulosam manente scrupulo, dummodo iudicetur esse scrupulum, et ut talis contemnatur. — 125. Qui operatur, nondum deposita, sed adhuc perseverante conscientia scrupulosa, si non iudicat, et teneat esse scrupulum, peccat, sive contra, sive juxta eam operetur. — 126. Si vero quis sit ita perplexus, ut utrumque oppositum iudicet esse peccatum, et ita sit scrupulis datus, ut nullo suffragante remedio, vel consilio possit judicare esse scrupulosum, sed adhuc manet dubius, an id sit scrupulus, necne, ac proinde se resolvere nesciat, tunc Conscientia scrupulosa evadit Conscientia dubia, et sic tamquam de ista est discurrendum. — 127. Rectius definitur Conscientia. — 128. 159. Variæ Conscientiæ divisiones, earumque definitiones. — 140. Monitum ad præcavendam Probabilismi doctrinam. — 141. 147. Summ. Pontificum contra Probabilismum decreta. — 151. SS. Congregationum sententiæ. — 151. 157. Episcoporum in variis Synodis Decreta. — 158. Quid ex ipsis consequatur. — 159. 165. Theologicis argumentis Probabilismus convellitur. — 164. 165. Notatur Auctor. — 166. Regulæ ad formandam Conscientiam, ubi dubia respicientia praxim suborientur. — 167. Quoad alia *Remissive*.

citur conscientia, quasi cum alio scientia, quia scientia universalis ad actum particularem applicatur: vel etiam quia per eum aliquis sibi conscius est eorum, quæ fecit, vel facere intendit. » (7. Unde Conscientia partim respicit opera nostra præterita, ea vel accusando tamquam male facta, et dicitur *Remorsus Conscientiæ*, seu *Vermis Conscientiæ*, etiam in damnatis perseverans juxta illud Isaia 66. « Vermis eorum non morietur; » et juxta illud Sapientiæ 4, « Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traduent illos ex adverso iniquitates eorum, » vel ea commendando tamquam bene facta, juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. c. 1. « Gloria nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ. » (8. Partim autem Conscientiæ respicit opera instantia, seu futura dictando, quæ agenda sint tamquam bona, seu honesta, et quæ omittenda tamquam turpia, et inhonesta, et dicitur alio nomine dictamen rectæ rationis juxta illud S. Joannis Chrysostomi homil. 54, in Genes. « Nullus præterdat, quod virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem veniæ Duce, et Demonstratorem: sufficientem habemus magistrum, Conscientiam, et fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur. »

(9. Hinc colligitur quod Conscientia est intrinseca, et proxima regula, juxta quam homo tenetur dirigere suas actiones, cum ab ipsa proxime derivetur in actum moralitas, scilicet bonitas, vel malitia. (10. Lex autem est regula extrinseca, et remota, prout

radix, unde oritur bonitas, vel malitia ob-
jecti. Quia vero lex non transfundit in actus
nostros bonitatem, et malitiam, nisi ut sunt
in nostra Conscientia, et ab ea proponuntur
nostræ voluntati: ideo Conscientia est regu-
la proxima, cui si actus nostri conformen-
tur, sunt boni, si difformentur sunt mali.
(11. Potest interdum contingere, ut actus sit
bonus, et objectum in se malum, et e con-
tra: ut si quis ex invincibili ignorantia ju-
dicaret licitum esse perjurium ad salvandam
vitam proximi, pejerando non peccaret,
quamvis ejus objectum sit in se malum, quia
actus non specificatur ab objecto, ut est in se,
sed ut a Conscientiæ dictamine voluntati pro-
ponitur. (12. Unde Conscientia, quæ est regu-
la proxima humanarum actionum, sumit-
ur hic pro judicio pratico intellectus pro-
ponente aliquid voluntati hominis ut bonum,
vel malum moraliter, ac proinde prosequen-
dum, vel fugiendum: ipse enim actus intel-
lectus practici, quo judicat aliquid esse bo-
num, vel malum, aut indifferens in genere
moris, et ut tale illud proponit voluntati,
vocatur proprie *Conscientia*. (13. Quæ di-
viditur in quinque membra, scilicet in Con-
scientiam Rectam, Erroneam seu falsam,
Dubiam, Probabilem seu opinativam, et Scrupulosam.

(14. Conscientia recta, seu certa « est, quæ
ex principiis veris, et certe cognitis, et certe
applicatis judicat in particulari absque for-
midine de opposito, id quod faciendum est,
esse bonum, vel malum, præceptum, vel
prohibitum, sicut revera est. » (15. Est in
re *communis*. Conscientia erronea, seu falsa
« est, quæ ex principiis falsis, creditis ta-
men pro veris, dicit aliquid esse faciendum,
vel non faciendum, quod revera tale non est,
absque fundamento probabili. » (16. Est in
re *communis*. Dicitur autem notanter, *absque
fundamento probabili*, ad differentiam con-
scientiæ probabilis, quæ quandoque etiam
dicit aliquid esse honestum, vel licitum,
quod a parte rei est inhonestum, ac illicitum;
et tamen, quia id colligit ex motivis
probabilibus, non dicitur Conscientia erro-
nea sed probabilis. (17. Conscientia erro-
nea dividitur in invincibilem, et vincibilem;
Conscientia erronea *invincibilis* est, cujus
error, adhibita diligentia morali, vinci, seu
vitari non potuit, ideoque talis erroneus ac-
tus, nec voluntarius est, nec ad culpam est
imputabilis. Conscientia erronea *vincibilis*
est, cujus error moraliter loquendo vitari
potuit, et debuit, ac proinde talis erroneus
actus est indirecte voluntarius, et culpa-
bilis.

(18. Conscientia erronea sive sit vincibilis
sive invincibilis obligat negative ad actum
dictatum, ne videlicet contra eam operemur,
quia operari contra ejusmodi Conscientiam
erroneam nondum depositam, semper est
peccatum, ut habetur expresse 14, ad Ro-
manos ibi: « Omne quod non est ex fide,
(id est ex dictamine Conscientiæ) peccatum
est. » Et ut inquit Innoc. III, c. Litt. 13, de
restitut. spoliat. « Quidquid fit contra Con-
scientiam ædificat ad gehennam. » (19. Sic

communissima Doctorum. Conscientia erro-
nea invincibilis obligat ad actum dictatum,
non solum negative, ne scilicet contra eam
operemur, sed obligat etiam positive, ut ip-
sam sequamur, ut proinde quis peccet, nisi
dictamen illius in operando sequatur, non
obstante quod objectum sit revera malum.
Est etiam *communis*; et ad hoc faciunt etiam
textus mox citati. Et ratio est, quia ex quo
Conscientia est invincibiliter erronea taliter
ut ejus error nulla morali diligentia vinci
ac deponi possit, ita ipsa se habet in prudenti
ac inculpabili judicio operantis, ac si es-
set simpliciter et absolute recta, adeoque
tenetur sic judicans eam sequi non minus
ac Conscientiam rectam. Licet enim Con-
scientia erronea invincibilis non sit recta
simpliciter, est tamen recta secundum quid,
nempe in ordine ad nos. (20. Conscientia
erronea vincibilis non solum non obligat po-
sitive ut eam sequamur, sed neque licite
ipsam sequi possumus, obligat tamen ut eam
deponamus, ita ut sive juxta eam, sive con-
tra eam agamus, semper peccemus, nam si
facimus id quod revera a lege præceptum
est, agimus contra Conscientiam nostram op-
positum dictantem; si vero sequimur dicta-
men nostræ Conscientiæ, peccamus contra
legem: a qua non absolvimur per errorem
nostræ Conscientiæ, utpote mere vincibilem
et culpabilem. Sic communiter Doctores.
(21. Qui peccat ex Conscientia erronea, pec-
cat peccato ejusdem speciei, et qualitatis,
quam intellectus judicat, quia actus non
specificatur ab objecto ut est in se, sed pro-
ut hic et nunc a Conscientiæ dictamine vo-
luntati proponitur. Hinc qui habet rem cum
libera, putans eam conjugatam, adulterium
committit; sicuti et contra, qui habet rem
cum conjugata putans eam liberam, fornicationem
committit. Est communis.

(22. Conscientia dubia « est suspensio in-
tellectus circa utramque partem contradic-
tionis; » id est, est ea, quæ neutri parti de-
terminatum præstat assensum, sed anceps
manet inter utramque, v. g. an hoc sit pec-
catum, vel non. (23. Est in re communis.
Conscientia dubia differt a Conscientia pro-
babili, quia dubitans ad neutram partem se
determinat, sed anceps et suspensus manet
inter utramque. Opinans vero determinate
uni parti assentitur. (24. Conscientia dubia
varie dividitur juxta variam divisionem du-
bii; unde bene percepta divisione dubii, per-
cepta erit divisio Conscientiæ dubiæ. (25.
Dubium igitur in primis dividitur in dubium
speculativum, et dubium practicum. Dubium
speculativum est, quando dubitatur de ali-
quo, non quærendo directe de praxi, seu ac-
tione humana, num ea licita sit, necne? sed
de quodam alio, an ita se habeat necne? v.
g. cum dubito an hodie sit præceptum jeju-
nandi? an rem quam possideo, sit vere mea?
sistendo in mera dubitatione de malitia, aut
bonitate objecti, seu actus in genere. (26.
Dubium practicum est quando dubitatur de
operatione quærendo directe de ipsa praxi,
seu actione humana, num ea in talibus cir-
cumstantiis sit licita, necne? ut cum dubi-

to de malitia, aut bonitate actionis hic et
nunc exercendæ, v. g. an hodie teneat jeju-
nare? an hic et nunc teneat rem restituere?
(27. Secundo. Dubium dividitur in dubium
positivum, et in dubium negativum. Dubium
positivum est quando quis pro utraque parte
contradictionis habet rationes probabiles,
unde stante æqualitate probabilitatis ipsarum
in suo judicio manet in æquilibrio, et sus-
pensus ad neutram partem se determinans.
(28. Dubium negativum est quando quis pro
neutra parte habet rationes probabiles, unde
defectu ipsarum remanet in suo judicio sus-
pensus neque affirmando, neque negando
quod talis actio sit licita vel illicita. Tertio.
(29. Dubium dividitur in dubium juris, et in
dubium facti. Dubium juris est dubium de
aliquo jure, lege, præcepto, statuto, etc., præ-
supposito ad honestatem actionis exercendæ;
v. g. cum dubito an adsit tale jus, an sit lata
talis lex, an impositum tale præceptum,
exempli gratia jejunandi, audiendi Sacrum,
et hujusmodi. (30. Dubium facti est cum
dubitatur de aliquo facto, ejusque conditione
aliqua spectante ad honestatem actionis exer-
cendæ, v. g. cum dubito an recitaverim Offi-
cium necne? an confessus sim tale commis-
sum peccatum, et hujusmodi.

(31. Qui operatur cum Conscientia specu-
lative dubia juris vel facti non peccat si pra-
ctice judicet opus illud hic et nunc sibi li-
citur. *Est communis*. Et ratio est, quia regu-
la proxima nostrarum actionum non est
Conscientia speculativa, quæ in sola objecti
veritate cognoscenda consistit, sed practica
quæ omnium circumstantiarum qualitatem,
et conditionem perpendit; unde cum objec-
tum, quod secundum se, et speculative con-
sideratum apparet dubium, accedentibus
certis circumstantiis possit reddi practice
certum, quod liceat, stat clarum, quod ope-
rari cum Conscientia solum speculative du-
bia non sit peccatum. (32. Et veritas hujus
conclusionis clarificatur exemplis. Si quis v.
g. dubitet speculative an res a se possessa,
sit sua necne? non obstante tali dubio spe-
culativo, potest practice judicare sibi de facto
licitum esse rem possessam retinere, eo
quod in dubio melior sit conditio possiden-
tis ex trita regula juris, sicque licite, et abs-
que peccato rem possessam retinebit. Sic
etiam Clericus in Sacris constitutus, vel Re-
ligiosus professus, qui considerata qualitate
sua infirmitatis speculative dubitat an sibi
liceat a recitandis horis abstinere, accedente
Medici, vel Confessarii consilio, practice est
certus, id sibi licere, adeoque deposito pra-
ctice illo suo dubio, non peccat omittendo
recitationem Horarum. (33. Qui operatur
cum Conscientia practice dubia, peccat pro
qualitate dubii, et in ea specie peccati de
qua dubitat, ita ut si dubitet, an peccet mor-
taliter, agendo, mortaliter peccet, si venia-
liter, peccet venialiter; et si dubitet an in
specie adulterii delinquat, agendo, seu rem
habendo, malitiam adulterii contrahat; et
sic de aliis. *Est communis*. Et ratio est, quia
omnis sciens, et volens exponens se pericu-
lo peccati, peccat, et quidem eodem genere

peccati, e jus periculo se exponit, ut docet
communissima Doctorum cum Divo Thoma
quodlibet, 8, art. 13. Scoto in 3, d. 25, quæst.
unic. et alibi. Ex illo Ecclesiastici 3. « Qui
amat periculum, peribit in illo. » Atqui ope-
rans cum Conscientia practice dubia dehone-
state actionis hic et nunc exercendæ, is sciens
et volens exponit se periculo peccati, eligit
enim voluntarie actionem indiscriminatam
sive licitam, sive illicitam: ergo eo ipso pec-
cat, quia ex Apostolo 14, ad Romanos,
« Quod non est ex fide, peccatum est, » id
est quod non fit ex certa credulitate, seu
determinato judicio intellectus dictante lici-
tum esse quod hic et nunc agitur, peccatum
est.

(34. Ex his resolves, quod practice dubius
debet suam actionem suspendere donec re-
mature, sed humano more examinata (id est
facta debita morali diligentia, a Doctoribus
consilium petendo), dubium prudenter de-
ponat, formando judicium determinatum de
honestate actionis hic, et nunc exercendæ.
(35. Si vero re mature examinata, et facta de-
bita morali diligentia, adhuc maneat dubius
pro utraque parte, et reperiat in tali-
bus circumstantiis, ut debeat necessario
operari, tunc si nequeat dubium deponere,
debet eligere partem tutiorem, id est
id in quo non est periculum peccandi,
aut id quod est minus malum, nam ex c.
Duo in mala 1, cap. *Nervi* 2, dist. 13, et c.
Non solum 7, caus. 22, q. 4, ex duobus
malis minus est eligendum, quia tunc non
eligit illud ut malum, sed ut bonum, quia
hic et nunc in tali casu nihil facere potest
quod melius sit. (36. Si autem utrumque
malum appareat ipsi æquale, et repertus in
necessitate operandi nequeat discernere
quodnam de duobus malis sit majus, vel
minus malum, tunc potest eligere quod vult,
quia tunc Conscientia dubia evadit invinci-
biliter erronea, et ideo in tali casu non pec-
cat, ut expresse habet D. Augustinus lib. 3,
de libero arbitr. cap. 19, ibi: « Non tibi de-
putatur ad culpam, quod invitus ignoras,
sed quod negligis quærere, quod ignoras. »
(37. Hoc totum liquet in sequenti vel simili
exemplo. Petrus v. g. in die festo assistens
infirmitati periclitanti, dubitat, aut ex Consci-
entia erronea putat esse æquale peccatum dese-
rere infirmum, et omittere Sacrum; nec
valet dubium, vel errorem deponere ex quo
non habeat Doctorem promptum, quem con-
sulat: tunc potest sine peccato quam partem
mavult eligere, quia in tali casu ignorantia
est invincibilis, operatio imminet, et non
potest exequi simul utrumque præceptum,
Charitatis scilicet et Religionis.

(38. Hinc pro regulis generalibus ad ra-
tionabiliter deponendum dubium, quando
propria materiæ motiva non suppetunt,
valde confert expendere duo usualiora axio-
mata, ex jure communi deprompta; scilicet:
« In dubiis tutior pars est eligenda: In du-
biis melior est conditio possidentis. » Pri-
mum axioma, scilicet: In dubiis tutior pars
est eligenda, desumitur præcipue ex cap.
Juvenis 3, de Sponsalibus, ubi expresse di-